EPISTOLA DE LONGÆVIS

AD

ERENISSIMVM CELSISSIMVMQVE PRINCIPEM AC DOMINVM

DN. AUGUSTUM

DUCEM BRUNSVICENSEM AC LUNÆBURGENSEM

OCTOGESIMUM SEXTUM ANNUM AGENTEM

AVCTORE

HENRICO MEIBOMIO.

HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIↃ IↃC LXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO

DN. AUGUSTO

Duci Brunſvicenſium &
Lunæburgenſium

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO
FELICITATEM ET VITAM
LONGAM PRECATUR

HENRICUS MEIBOMIUS.

EQuidem, Seren. Princeps, Cives omnes Tui, ſive annum ordiris novum, ſive Natalem Tuum celebras, miranda gaudiorum ambitione, exultant, lætitiamque ſuam oculis, vultu, nutu teſtantur: idque optimi quique faciunt quàm maximè. Quicunque tamen Muſis addicti ſunt, eo imprimis tempore, ire ad Parnaſſum ſolent & applaudentium vocibus ſua vota jungere, pari quidem affectu, ſed feliciori ſucceſſu, quò diuturnior eorum, quæ ſcribuntur, eſt memoria. Nec tantum id faciunt, qui Tuo ſub principatu vivunt, aut qui in Imperio no-

Digitized by Google

ſtro, cujus Tu magna columna es, degunt, ſed illi quoque qui extra Germaniæ limites, aliis ſub dominis, non niſi voto Tui ſunt, dum Te dominum ſibi optant. Neque verò ego hac in re ceſſator unquam fui, ex quo virtutes Tuas propius intueri, Tuiſque à ſervitijs eſſe licuit. Et illud quidem tàm audacter, quàm verè & ingenuè dicere poſſum, quotieſcunque ſive ſoluta ſive ligata oratione in Sereniſſimæ Domus Brunſvico-Lunæburgicæ laudes digredior, ſolitò felicius currit ſtylus, nec meæ tarditatis reminiſcitur, materia ſua dives, fæcundus argumento, promptus obſequio.

Eopſe autem tempore dum ora omnium & vota abſolvis, omnia quæ in Te ſunt expendunt ſecum & admirantur, ſuo quiſque modo & more. Prudentiam quidem & Regendi artem & Iuſtitiæ cultum Politici, quibus penitus introſpicere datur, quanta cum dexteritate Tuum regas imperium, ut majori dignus omnibus videaris. Religionis amorem & erga divini verbi miniſtros clementem benivolentiam Theologi: Propenſum vero in litteras animum ſuo cum commodo extollunt litterati, quantosque in ipſos, quantos Auguſtæ Bibliothecæ utilitatis publicæ cauſâ ſumptus impendas, grati ſecum perpendunt. Alii alia intuentur, beneficentiam uno ore loquuntur omnes.

Ego & Religionis amorem & Prudentiam illis

cele-

celebrandam relinquo, quorum in contemplandis hujuſmodi rebus cura teritur, quibuſq; illa, quæ prudenter animadverterunt, facunde contigit eloqui, æquatis cum rei magnitudine cogitationibus. Munificentiam erga litteratos, ut expertus ſæpius, ita celebravi ſæpius. Et jam tum ſatis illa per totam innotuit Europam. Vnde tot Tibi quotidie tranſmittuntur volumina, tot Tuo Nomini inſcribuntur libri, ut vel ex illis ſolis, ad exemplum Magni Hetruriæ Ducis Coſmi Primi, Bibliothecam inſignem poſſis conſtruere.

Vnum mihi nunc lubet penitius intueri ſub hujus anni exordium, ÆTATEM Tuam, Sereniſſime Princeps, & illa in ætate corporis animique robur; quam conſiderationem nec dedecere Medicum Tuum, nec ingratam Tibi fore judico. Licet enim turpe Sapienti, cum habeat animum, laudes captare ex corpore, egregium tamen eſt, quando corporis decus ita cum pulchritudine certat ingenii, ut magnus animus digniſſimo domicilio incluſus videatur: habetque rationem ſuam vetus illud, citatum abſque auctoris nomine Porphyrio, tributum Euripidi ab Athenæo.

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος

Primum digna imperio forma.

Dedignaris fortè Tu quoque, Sereniſſ. Princeps, hanc quæ ab ætate venit gloriam: Sed patere eam

laudibus Tuis tanquam complementum ſuperaddi. Vt enim admirabilis ſis omnibus, Virtus Tua facit: ut diutius id ſis, Ætas; tam benignè Tecum conſpirante Natura, ut, dum Tu mirificis virtutis operibus incumbis, illa iis exercendis liberaliter tempora ſubminiſtret. Solet plerumque nimio robore membrorum vigor mentis hebeſcere, quaſi abnuente natura utriuſque boni largitionem. Adeoque ſupra mortalem felicitatem eſt, quod in Te cernimus, eundem & valentiſſimum eſſe & ſapientiſſimum, illumque corporis & animi vigorem ad extrema ſenectæ illibatum decurrere. Patere, igitur, inquam, Celſiſſime Princeps, ut paucis hominum vivendi ſpatia decurram, ut cauſas longioris vitæ indagem, & quid in illa Tua ſenectute mirari potiſſimum unuſquiſque debeat, oſtendam.

Conſideranti verò mihi omnes illos, qui ſingulari aliquo vitæ ſpatio notabiles ſunt, occurrit ſtatim, variare admodum terminum illum, cum ratione temporum, tum ratione locorum. Primo enim ſeculo, quàm vaſtum ætatis ſpatium primi noſtri parentes tantum non omnes emenſi fuerint,

Vel pueri norunt, & qui nondum ære lavantur.

Id quod non ſacra tantum ſcriptura teſtatur, ſed Heſiodus quoque & alii, ut eſt apud *Ioſeph. lib. 1 Antiq. Iudaic. cap. 4. Lactant. lib. 2. divin. Inſtit. c. 13.* Poſt diluvium verò multum deceſſit illi longævitati, ſive id natu-

naturalibus de cauſis factum, fracto humanorum corporum robore, tùm per diluvium ipſum, tum per diſperſionem, mutatamque victus rationem: ſive ſecreto, nec facile penetrando DEI judicio. Neque enim audiendi ſunt illi, qui per annos non Solares, ſed Lunares intelligunt, cum ex inſpectione contextus ipſius contrarium appareat, ceu jam tùm Viris doctis abunde oſtenſum eſt.

Nullum verò dubium eſt, quin pro diverſitate regionum, aëriſque & aquæ varietate, magna quoque in corporibus hominum oriatur diſſimilitudo, ut quidam populi citius ſeneſcant, quidam tardius: alii celerius moriantur, alii diutius vitam protrahant. Obſervatum hoc jam tum olim, non *Hippocrati* tantum *in lib. de aëre, aquis & locis*, ſed Aſclepiadi quoque apud *Plutarchum. l. v. de placit. philoſ. cap. ult.* annotatumque de variis gentibus à diverſis ſcriptoribus. Arcades ad trecenteſimũ annum vivere ſolitos, ſcribit ex Ephoro *Plinius. l. 7. c. 48.* & *Servius ad lib.* VIII *Æneid. Virgil.* Hellanicus apud Valerium Maximum & Plinium ait, quoſdam ex Epiorum gente, quæ pars eſt Ætoliæ, ducenos explere annos, eique ſubſcribit Damaſthes. Tot annos Seribus quoque tribuit *Strabo lib. 15. Geogr.* De Æthiopibus ſcribit *Herodotus lib. 3.* centeſimum vigeſimum annum ipſis vitæ terminum fuiſſe, quem tamen nonnulli eorum tranſgreſſi ſint. De oppido Achroto in monte Atho ejuſque ſummo verti-

vertice ſcribit *Solinus cap.17.* illic *dimidio longiorem quàm in aliis terris incolentium ætatem prorogari.* Plura in hanc rem congeſſit *Plin.l.7. c.2*, cujus verba adſcribo. *Cyrnos, Indorum genus, annis centenis quadragenis vivere. Item Æthiopas Macrobios & Seras exiſtimarunt, & qui Athon montem incolunt: hos quidem, quia viperinis carnibus alantur. Oneſicritus, quibus in locis Indiæ umbræ non ſint, corpora hominum cubitorum quinûm, & binorum palmorum exiſtere & vivere annos centum triginta, nec ſeneſcere, ſed ut medio ævo, mori. Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedunt, Gymnetas appellat, non pauci Macrobios. Cteſias gentem ex his, quæ appellatur Pandore, in convallibus ſitam annos ducenos vivere, in juventa candido capillo, qui in ſenectute nigreſcat.* Et *cap.* 48. *ejusd. libri.* auctore Mutiano, ſcribit, in Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempſin, CL annis vivere. Teſtantur idipſum de populis illarum regionum moderni ſcriptores, qui ea loca perluſtrarunt. De Ægyptiis *Proſper Alpinus Medic. Ægypt. lib.* 1. *c.* XI. ubi in cauſas quoque inquirit. In Inſula Taprobana, in Inſula Onor, in Reama Felicis Arabiæ urbe, homines ultra CXX annos vivere diſcimus ex Relationibus Nautarum. De Sinarum regione admodum conſtans fama eſt, homines multo ibi longæviores eſſe quam in reliquis Aſiæ provinciis, ita ut ætatem attingant multi CC annorum. *Abrahamus Vander Mylius in Epiſt. ad Ioh. Beverovicium* relatum hoc ſcribit ſe præſente Amſteloda-

Iodami à Sinenſi quodam, qui, licet jam tum ſexagenarius, vix triginta viſus expleviſſe annos. De Braſilienſibus idem ſcribitur. *Vaſæus in Hiſpaniæ Chronico* ſcribit non eſſe mirum, hominem centeſimum vigeſimum ætatis annum explere, & tales non paucos in Portugallia repertos eſſe, ſuis etiam temporibus Interamni. Noviſſe ſe, addit, Eboræ anum quandam, quæ jam decem ſupra centum annos computabat, cum iſta ſcriberet, cujus mater uſque ad centeſimum vigeſimum pervenit. De Hibernis Borealioribus, Inſularumque Orcadicarum incolis conſtanter refertur, illos admodum vivaces eſſe, adeò ut ad tædium uſque vivant mortemque ægrè conſequantur, niſi inde in alia loca transferantur De Anglis ſuis *Baco de Verulamio hiſt. vit. & mort.* p.m. 158. *Apud nos*, inquit, *in Anglia arbitror non exiſtere villam paullò populoſiorem, in quâ non reperiatur aliquis vir aut mulier ex octogenariis. Etiam ante paucos annos in agro Herefordienſi inter ludos florales inſtituta erat chorea & ſaltatio ex viris octo, quorum ætas ſimul computata octingentos annos complebat, cum quod alteris eorum in centenarium deeſſet, alteris aliquibus ſupereſſet.* De Heluetis res etiam notiſſima eſt, plurimos inter illos longævos reperiri. Brabantinos Kempianos vicinos ſuos ætate ut plurimum antecellere ſcribit *Abrah. Vander Mylius loc. cit* Notandum tamẽ, de remotis longævis populis meritò nonnulla ſuſpecta eſſe. Nam & nobis ſæpe non minus

imponitur, quam Perſis illis qui putabant in Europa eſſe ſenes, qui unum aut duo millenaria annorum compleant, vivereque adhuc hominem quendam, qui bello contra Mahometis generum interfuerit, ut refert *Pietro della Valle in Epiſt. 4. ad Marium Schippanum 360. edit. Venet.* Sæpe ab uno homine longævo relatio ad totam gentẽ extenditur, & credere cogimur referentibus, quia inquiſitioni accuratiori locus non eſt. Ne de Sinenſibus nunc dicam, plurimis apud illos in more hoc poſitum, ut ſe valde ſenes mentiantur, ut eſt in Epiſtol. Pantogiæ, quam ex Sina perſcripſit, inter litteras Ieſuitarum Sinenſium. Manet interim hoc indubitatæ veritatis, variare admodum vitæ noſtræ terminum pro ratione locorum.

In univerſum tamen loquendo, annorum vitæ noſtræ tres termini extremi videntur poſſe conſtitui, quaſi climacterici ultimi. Primus octogeſimus annus, medius centeſimus, ultimus centeſimus vigeſimus.

Primum illum Moſes propoſuit, qui cum ejuſdem ſententiæ eſt Solon apud *Laertium in ejus vita*: nec multum abludit Staſias Peripateticus apud *Cenſorinum de die Natali c. 14.* Medius non à Græcis tantum Latiniſque omnis generis ſcriptoribus, ſed Iuris quoque Civilis auctoribus inculcatur: quinimo hanc annorum ἑκατοντάδα in Sibyllæ verſibus inculcatam & *Eccleſiaſtic. c. 18.* legimus. Hac de cauſa Xerxes armatam A-

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ totius juventutem contemplatus lacrymas tenere non potuit, quod intra centum annos perituram eam omnem ſciret. Id Ægyptij ridicula hypotheſi conabantur probare, quam, vel ut rideatur, adſcribam verbis *Cenſorini* l. c. qui eam poſt *Plinium l.* II. *c.* 13. fuſius deſcribit: *Fieri poteſt*, inquit, *quod refert Varro, quodq; Dioſcorides Aſtrologus ſcripſit, Alexandriæ inter eos, qui mortuos ſolent conſervare, conſtare, hominem plus centum annis vivere non poſſe. Id cor humanum declarare eorum, qui integri perierunt ſine corporis tabe, eò quod multis annis pendendo, omnis ætatis incrementa & diminutiones obſervent: & anniculi pendere duas drachmas, bini quatuor & ſic in annos ſingulos usque ad quinquaginta accedere binas: ab iis centum drachmis ab uno quinquageſimo iterum decedere in unoquoque binas: ex quo perſpicuum ſit, centeſimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius poſſe vitam produci.* Abſurda ſanè apud Anatomes peritos opinio, licet illos auctores habeat, qui αὐτοψίᾳ gloriantur.

Vltimus denique terminus eſt anni centeſimi vigeſimi. Id quod rectè colligitur ex Geneſ. cap. VI. & Deuteron. XXXI. quicquid etiam aliis fuerit viſum. Hunc præterea plurimi poſuerunt: Aruſpices apud *Vopiſcum in Tacito*, *Quintilianus* ſive alius Auctor *Dialogi de cauſis corruptæ eloq. Trebellius Pollio in vit. Claudii. Servius ad illud Virgil. Æneid.* 4. Vixi & quem

dederat curſum fortuna, peregi: quorum verba recitare non lubet.

Sicut autem illi, qui in ſtadio currunt, terminum ſæpe prætereunt, & extra præſcriptos fines procurrunt: Sic etiam in hoc vitæ noſtræ curriculo aliquos ſubinde invenias, qui non primum tantum illum & medium, ſed ultimum quoque terminum tranſgrediantur. Exempla plurima ſunt, ex quorum abundanti copia nec parca nimis nec avida rurſus manu, quod magis deſiderio ſatisfaciat, quam ſatietate obtundat, hauriemus. Homericus Neſtor triſecli ſenex primum jure locum tenet. Neque enim iis aſſentiri poſſum, qui nonaginta annos vixiſſe volunt, cum illa ætas non adeo rara priori ſeculo, ut tot monumentis celebrari meruerit. Iohannem de Temporibus ſexaginta annos vixiſſe memorat Martinus Polonus aliique. Nam & Caroli M. armigerum fuiſſe & anno demum 1139 obiiſſe referunt. Errorem verò hic inſignem committi, & pro Carolo M. intelligendum Carolum ſimplicem, ideoque non 360, ſed 160 annos circiter vixiſſe ſcribunt *Paulus Æmilius de reb. geſt. Francor. l. 5.* & *Ioh. Tilius Chronic. Reg. Franciæ*, quos adducit multijugæ eruditionis vir, *Martinus Schookius* amicus meus, *in Fab. Hamelenſ. part. 3. c. 3.* Regnante in Luſitania Iohanne III extitit quidam è Gangaridum gente, annorum 335, qui filium habuit nonagenarium, ut eſt apud *Auctorem Hiſtoriæ Luſitanicæ, Maſ-*

ſæum

ſæum lib. ix. *Lopez. l.* 5. *Ioh. à Chokier. Fac. hiſtor. cent.* 1. *c.* 15. Neſcio an de eodem loquatur *Vaſæus in Chronico*, cum repertum apud Indos hominem ſcribit, qui treceſimum annum exceſſerit, id quod ex oculato teſte ſibi conſtet. De Thoma Parr Anglo, qui anno 1483, regnante Eduardo IV natus & anno hujus ſeculi 1635 adhuc vixit, agit ex noſtrorum temporum Annalibus *Bartholin.C.* v. *hiſt.*28. Helſtandi Piſcatoris annum 140 ſupergreſſi, viribus adhuc integris meminit *Buchananus lib.*1. *hiſt.Scotic. Adamus Olearius* alterius cujuſdam, qui centũ viginti ſex annos vixerit, centeſimo uxorem duxerit, *Itiner.Perſic.l.*3. *cap.*24. Iohannes Mundinellus vixit annos 125, ut videre eſt ex ejus epitaphio, quod extat Tholoſæ, recitaturque à *SWertio in Epitaph. Ioco ſeriis. p.* 70. *Borellus Cent.* 2. *obſ.* 39. adducit ruſticum centum & viginti annos natum, & fæminam, quæ centeſimum quinquageſimum ſextum ſe agere aſſeverabat. Aviam ſuam CX anno mortuam ſcribit *Iohannes Langius lib.* 1. *Ep.* 79. Suecum militem centeſimo anno uxorẽ adhuc duxiſſe memorat *Lemnius de occ.nat.mirac. l.*4. *c.*24. Guilh. Poſtellus Gallus ex agro Abrincenſi, ſingularis ingenii vir, ad centeſimum & prope viceſimum annum pervenit. In mea quoque familia unum notabile exemplum occurrit. Bernhardus Drejerus, Senator Lemgovienſis, Pater magni illius Theologi Iohannis Drejeri, ſuo tempore auctoritatis non parvæ & ſcriptis clari, perque magnam

gnam

gnam VVeſtphaliæ partem veræ religionis inſtauratoris (cujus filiam proavus meus Martinus Meibomius conjugem habuit) Is, inquam, ad annum uſque ætatis centeſimum vigeſimum pervenit. Inter claros viros apud veteres ſenio notabiles ſunt Terentius Varro, Anacharſis Scytha, Plato, Carneades, Iſocrates, Theophraſtus, Cato. In Callicrateam, quæ centum & quinq; annos vixit, extat Epigrāma ἀδέσποτον *Anthol. l.* 3. quod Latinè ita vertit *Auſonius:*

Sed centum & quinque explevi bene meſſibus annos,
In tremulam baculo non ſubeunte manum.

Verum hæc exempla non ejuſdem omnia fidei, variantibus quoque non parum annis apud alias atque alias nationes, ut notat *Plin. lib.* 7. *c.* 48. Apud Romanos paullo certiùs ætates hominum ſciri poterant, quando cenſus agebatur. Tum enim cives omnes, præter æſtimationem bonorum ſuorum, nomen quoque & ætatem ſuam ſuorumque cogebantur deferre. Hinc non poſſum non unius cenſus exempla referre, ut leguntur apud *Plin c.* 49. *ejuſd. libri. Accedunt*, inquit, *experimenta & exempla recentiſſimi cenſus quem intra quadriennium Impp. Cæſares Veſpaſiani pater filiusque cenſores egerunt. Nec ſunt omnia vaſaria excutienda: mediæ tantum partis inter Apenninum Padumq; ponemus exempla. Centum viginti annos Parmæ tres edidere. Brixelli unus* CXXV. *Parmæ duo* CXXX. *Placentiæ duo* CXXXI. *Faventiæ una mulier* CXXXII. *Bononiæ L. Terentius M. Felix,*

lix, Arimini verò M. Aponius C & L, Tertulla CXXXVII. *Circa Placentiam in collibus oppidum eſt Vellejacium, in quo* CX *annos ſex detulere, quatuor centenos vicenos, unus* CXL, *M. Mutius, M. Filius, Galerius Felix. Ac ne pluribus moremur in re confeſſa, in regione Italiæ octava Centenûm annorum cenſi ſunt homines* LIV, *Centenum denûm homines* LVII, *centenûm vicenûm quinûm homines duo, centenum tricenum homines quatuor, centenûm tricenûm quinûm aut ſeptenum totidem, centenum quadragenum homines tres.* De ſuo ævo *Ioſephus Scaliger in Elencho* orat. 1. Chronol. David. Paræj. *Nos*, inquit, *poſſumus producere, quos* 120, 125, 130 *annos vitæ expleſſe, ſcimus, vidimus meminimus. Vnus etiam ſenex amicis noſtris miraculo fuit Lutetiæ anno Chr.* 1584. *qui miles pugnæ montis Lehenij interfuerat ſub Ludovico* XI. *Is major annorum* 140, *omnibus membrorum officiis integris Lutetiam ſeſe contulerat, litis cujuſdam perſequendæ cauſa.* Recenſere etiam ego non paucos poſſem, qui mihi in variis Europæ locis occurrerunt, centenarium transgreſſi: nec dubito, quin Tibi, Sereniſſime Princeps, ſi demittere eò cogitationes Tuas nobis cũ velis, felix memoria longè plures ſuppeditet. Nolo autem promiſcuè omnibus immorari, cum pleriq; non niſi ſolo ſenio nobiles ſint, deq; quibuſdam illorum non incommodè dici poſſit, quod jocabundus de ſene ſuo *Plautus in Bacchid.*

Hunc ſi ullus Deus amaret, plus annis decem,
Plus jam viginti mortuum eum eſſe oportuit,
Qui terræ odium inambulat.

Quin-

Quinimò inter plebejæ ſortis homines non ſatis accuratè annotati & ad poſteros delati natiuitatis anni ſæpe nos fallunt, nonnulliq; etiam, ut miſerabiliores ſeſe reddant, ætatem ſuam multis luſtris adaugent.

Ad Principes potius digredior, Sereniſſime Domine, quorum naſcendi initia demortualesq; dies non privatæ tantum familiarum tabulæ, ſed publica quoque monumenta certius monſtrant. Non tamen antiqui producendi ſunt, quos *Lucianus* & *Phlegon Trallianus* data opera collegerunt, cum illi mirabilium rerum ſcriptores fidem penè omnem apud me decoxerint, fabuloſusq; videatur Rex Arganthonius,

humani ditiſſimus ævi,

Ter denos decies emenſus belliger annos,

Cum, qui ejus annos numerant, Anacreon apud Strabonem, Silius Italicus, Lucianus, Plinius, Valerius inter ſe non conveniant. Ne ex libera quidē Roma Fabios Maximos, Catones, Metellos, Appios, Perpennas repeto, licet non modicū ævi ſpatium abſolverint. Imperatores conſiderare lubet. Quam pauci verò tanto illorum in numero notabile & plus quam ordinariū vitæ ſpatiū attigerunt! Cujus quidem rei cauſa non obſcura admodum, quod plurimi in prælio, plurimi ſuorum manu mactati, quidam intemperantia nimia vitæ terminum anticiparint. Neque enim, ſi rectè calculum poſui, præter quatuor illos, Gordianum ſeniorem, Valerianum, Anaſtaſium Dicorum, Anitium Iuſtinianum, ullos temerè vel Roma-

nos

nos inter vel Græcos vel Germanos reperitur, qui ad octogeſimum annum pervenerit, ne dum ut illum ſit ſupergreſſus. Ne Pontifices quidem Maximi Beatiores fuerunt. Inter omnes enim illos Iohannes tantum XXIII & Gregorius XII nonageſimum: Paulus IV Gregorius XIII octogeſimum ſupergreſſi ſunt. Iohannem enim XXI (licet Medicæ artis peritum, in qua ſub nomine Petri Hiſpani libros non inutiles evulgavit) huc referre non poſſum. Imaginabatur quidem ſibi homo miſer longam vitam ex aſtrorum poſitu, ſed ædificii novi collapſu primo pontificatus ſui anno periit, ut referunt *Martinus Polonus*, *Platina*, *Balæus*, *Mariana*. Nec ſi reliquos Europæos Principes omnes octogenarios in unum cogas, ultra decem erunt, quantum quidem ex hiſtoriis memini. Tam rarum eſt, ætate quoque eminere illos præ cæteris, qui naſcendi ſorte & meritis potiores ſunt!

Sed miſſis exemplis, præſtabit aliquantulũ in cauſas longioris vitæ inquirere. Nullũ autem dubium eſt, quin potiſſima cauſa à cujuſque dependeat temperamento, quale id à Natura in primo contigerit ortu. Et ſanè hæc res uſq; adeo eſt liquida, ut non philoſophi tantum omnes & Medici inter ſe, ſed cum his quoq; Chemici, diſcordes aliâs fratres, in hoc ultrò conveniant. Per id verò hominis quidẽ ipſius temperamentum intelligo primariò, ſeorſim tamẽ regionis quoq; in qua quiſque vivit temperiem. Hinc ſanè ratio

reddi manifeſta poteſt, cur, ut ante oſtendi, quædam nationes præ aliis longævæ fuerint & adhuc ſint. Quin imò non ſine veriſimilitudine aliqua dixeris, mutata poſt & per diluvium hominum temperamenta, indeque vitæ illorum terminum ſolitò redditum breviorem. Valde autem hanc ſententiam confirmat Longævitas in nonnullis familiis quaſi hæreditaria, certo argumento, ab ipſa ſeminis temperie eam dependere. Apollonius Thyanæus ultra centum annos complevit, cujus avus centum & triginta vixit. De Metello *Plinius*. De Eboracenſi vetula ſupra ex *Vaſæo* diximus. De ſua familia id obſervarunt cognati duo *Iohannes Beverovicius in Epiſt. ad Beverovic. & Gerardus van der Laan in Epiſt. ad Iohannem Beverovicium.* Res autem in vulgus quoque nota, & boni ominis in liberis argumentum, longævus pater.

Vltra verò naturalem hanc temperiem, quæ plurimùm, non parum quoque ad longam vitam conferre cenſeo vivendi rationem. Certa enim experimentorum fide obſervatum eſt, bona, ut Medici appellamus, diæta plurimum ad eam conferri; eoque nomine temperantiam *inter tuendæ ſenectutis præſidia* referunt *Cicero in Cat major. Symmach. l.3. Epiſt.* 16. De Eſſenis ſcribit *Ioſephus l.2. de bell. Iudaic. c.7.* eos longiſſimam vitam vivere, idque ob ſimplicem victus rationem vitamque bene ordinatam. Et conſtat valetudinarios ſolius accuratioris diætæ beneficio notabile

vitæ

vitæſpatium decurriſſe. Id de Herodico à veteribus notatum eſt. Antiochus quoque Medicus accuratiſſimo victu ad ſenium pervenit, ut *Galenus* teſtatur *lib.5.de ſanit.tuend. c.4.* Imprimis vero notabilis eſt hiſtoria Ludovici Cornari nobilis Veneti, qui à 25 ad 45 uſq; ætatis annum proſtratam habuit valetudinem, pervenit tamen ad annũ 95, tam accurata diæta uſus, ut pro paſtu non niſi uncias XII cibi & XIV vini aſſumeret: quam ſi quando tranſiliret, in morbum relabebatur. Extat liber Italice ea de re ab ipſo conſcriptus & in non unam linguam translatus. *Auguſtinus Thonerus* Medicus Vlmenſis octogeſimum annum ſupergreſſus eſt, viribus integerrimis, ſenſibus etiam omnibus bene ſe habentibus, colore vegeto vividoque, ut præter canos nil in illo ſenile animadverteres. Ipſe autem longioris ætatis ſuæ cauſas in Epiſtola quæ *lib.* VI. *quarta* eſt, explicans, primum locum dat temperiei, quam à Natura optimam ſibi contigiſſe pluribus oſtendit: ſecundum bonæ victus rationi, quâ ab ineunte uſque ætate uſus. Quæ omnia rectè hactenus, meo judicio, ſcripta ſunt, id tamen adhuc addo, non ſemper ſtrictam illam diætam, qua Antiochus Cornariuſque uſi, ad longam vitam conferre, imò vix aliquid, niſi ante quis fuerit valetudinarius. Recte ad mentem meam divini ingenij vir *Baco de Verulamio in hiſt. vit. & mort.* p. 180. *Media diæta, quæ habetur pro temperata laudatur, & ad ſanita-*

 nita-

nitatem confert, ad vitam longævam parum poteſt. Plenior diæta alimentum præbet copioſum, unde magis reparat. Difficile tamen admodum videtur, in univerſum certi aliquid hac de re determinare, cum in ſingulis pene aliquid ſit ſingulare. *Non conveni*, inquit Idem *Baco* p. 183, *unquam aliquem valde longævum, qui interrogatus de victu ſuo non obſervaſſet aliquid ſingulare*: id quod exemplo confirmat: Tu vero Tuo etiam Sereniſſ. Princeps. Sed quid opus mirari vitæ Tuæ ſingula, ſi tota vita mira eſt?

Interim non abs re fore puto, ut hoc loco inquiram, quid à Medicina expectari ad vitam longius producendam poſſit. Equidem quatenus Diætetica pars eſt Medicinæ, patet ex iis, quæ modo diximus, longè plurima ab ea ad vitam longam poſſe conferri. Non deſunt verò, qui medicamentis quoque eam produci poſſe putant. Ægyptiis ſanè jam tùm olim perſuaſum fuit, Iſidem ἀθανασίας φάρμακον, *immortalitatis remedium* inveniſſe, ut ex illorum ſententia ſcribit *Diodor. Sicul. lib. 1. cap. 25.* Sinenſes quoque, ut ſunt medicamentorum ad longam vitam conducentium ſtudioſiſſimi, cupidiſſimique, idipſum libris prodiderunt ſuis, ut videre eſt apud illos, qui Sinenſium res geſtas deſcripſerunt; Ieſuitas præſertim in Epiſtolis hoc ſeculo editis. *Aëtius tetrab. 1. ſerm. 4. c. 96.* meminit cujuſdam Philippi Sophiſtæ, qui immortalitatem promiſerit illis, qui

ſibi

ſibi in vivendi ratione obtemperare vellent. Neque dubito, quin idem ſit Philippus ille (tempora ſaltem non repugnant) cujus ſub nomine Philoſophi cujuſdam meminit *Galenus l. de ſanit. tuend c. 12. & l. de maraſm c. 2.* Iuvabit ipſum Galenum audire loquentem: *Noſtro*, inquit, *ſeculo Philoſophus quidam librum conſcripſit, in quo quonam quis modo poſſet ſenii expers perpetuo permanere, oſtendit. Edidit librum anno ætatis XL, pervenit verò ad annum octogeſimum, graciliſq; adeo & ſiccus evaſit, ut præclarè illud Hippocratis in illum quadraret: nares acutæ, collapſa tempora, oculi concavi, frigidæ contractæque aures & imis partibus leviter verſæ, cutis circa frontem dura & intenta & arida. Cum igitur aſpectu talis jam redditus irrideretur, quod alios conaretur docere, ut quis ſenio carens permaneret poſteriorem de admirabili inſeneſcentia editionem dedit, oſtendens, non quemlibet ſenii expertem manere, ſed ad hoc opus eſſe natura accommoda, præcipueq; ſi prima educatio proba jecerit fundamenta. Pollicebaturque ſe infantium qui ad hoc idonei eſſent corpora redditurum immortalia, ubi ipſe eorum curæ ſtatim ab initio præficeretur: minimeq; reprehendi poterat ejus pollicitatio, cum ipſi prius moriendum eſſet, quam quos ſuſcepiſſet pueros, viri evaſiſſent.* Hæc ille. Audacior illo Aſclepiades, qui cum fortuna fecit ſponſionem, ne Medicus crederetur, ſi unquam invalidus fuiſſet ipſe. Non omnino tamen falſum dixit. Victor enim ad ſupremam ſenectutem pervenit, viribus integris,

 nec

nec morbo ſed lapſu ſcalarum interiit, ut eſt apud *Plin. l.2. c.37.*

Nec defuerunt nuperis temporibus qui horum veſtigia preſſerunt. Ne enim nunc de illis dicam, qui de producenda vita in genere commentati, de ea ultra cxx annos proroganda *Thomas Philologus* Ravennas unum ſuperiori ſeculo, noſtro autem *Claudius Deodatus* Gebvveiſenſis, Epiſcopi Baſilienſis Medicus tres integros libros evulgavit. Imprimis verò noſtris temporibus, ut omnia difficillima artis opera, ſic hanc quoque peritiam Chemici ſibi arrogarunt. Huc Paracelſi, illorum anteſignani, doctrina tendit, dum *non repugnare Naturæ* ſcribit *vivere quenquam usque ad renovationem ſeculi, ſed noſtræ ſolum rationi, cujus potiori parte deprædati ſimus alienum videri*, lib. de vita longa p.m. 207. Huic uſui deſtinatas tot medicamentorum formulas, nominaque ipſo pene tremenda ſono legas, *folia Dauræ, florem ſectæ Crojæ, mumias magneticas, vividos latices, olea incombuſta, eſſentias, tincturas &c.* Alij hæc medicamenta nonniſi certis horis, fortunatioribus nimirum, præparant. Alii certas materias ſeligunt, cervinas carnes nonnulli, alii viperinas (has verò ad longævitatem conferre, jam tum olim creditum patet ex *Plin. l.7. c.2.* ubi ob illarum eſum montis Athos incolas longævos credi ſcribit) quod ad renovationem vitæ faciant, quia viperæ mutant exuvias, cervi deponunt cornua. Neque

vero

verò deeſſe exempla eorum, qui certorum medicamentorum uſu longiſſimum vitæ ſpatium attigerint. Pythagoram philoſophum aceti Squillitici uſu familiari ad annum 117 perveniſſe, ſcribit *Galenus lib. 3. de medicam. facile parabilibus.* Raimundum Lullium, (quem rerum Chemicarum peritiſſimum fuiſſe & ſatis adhuc fideliter ſcripſiſſe, libros ejus accuratius quàm vulgò fit, examinanti patet) auro ſuo potabili ſanitatem conſervaſſe in annum uſque 145 legimus in *Petri Pacifici* (uti habet inſcriptio) *Legatione Perſica.* Extracti helleborini, (quod ad longævitatem plurimum commendant) uſu Germanum quendam ſexagenarium dentes novos nigroſque capillos ſibi refeciſſe fide Pierrucii ſcribit Cl. *Bartholinus*, ex cujus Viri non juris tantum Conſultiſſimi, ſed rerum quoque Chemicarum admodum periti ore non ſemel hiſtoriam integram audivi, cum Patavii cum ipſo amicitiam contraherem. Nobiliſſ. *Henricus Ranzovius* meminit Hieronymi Brunſvicenſis, quod crebro cujuſdam tabulati ex variis aromatibus & Rhabarbaro concinnati uſu vitam ad annos 110 produxerit. Ambræ uſum ad longævitatem plurimum conducere exemplis probat *Verulamius hiſt. vit. & mort. p. 231.* Verum enim verò longe hi omnes, mea quidem ſententia, aberrant, cum, quod ad certos annos producere vitam volunt, tum, quod unico id me-

dica-

dicamento omnibus in hominibus conantur. Nec eventus reſpondet rei. Chemicorum verò pleraque mirabilia promiſſa cum eorum præparatore Vulcano tantum non utroque pede claudicare, etiam in vulgus notum eſt. Aliàs, quin certis medicamentis recta methodo adhibitis, ſubveniri ſenſim cadenti ætati poſſit, apud Medicos quidem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quinimo ultra oſtentatores illos invenire licet in ſobriorum Medicorum ordine plurimos celeberrimos Viros (nullius enim nominis Medicos non attendimus) qui longævi admodum fuerunt. Centeſimum ſuperavit Hippocrates, Galenus (ſi *Cælio* fides) Avenzoar, Averroes. Octogeſimum Auſonius, Rhaſes, Avicenna, Meſue, Albertus Magnus. Recentiores magno numero ſe ſiſtunt: Aquapendentes, Mercati, Cluſii, Finckij, Langii, Plateri, Peuceri, Sylvatici, Sebizii. Nicolaum Leonicenum Vicentinum, qui præter laudabilem operam, quam profligandæ barbariei contulit, magnam quoque in arte Medica gloriam conſequutus eſt, ad nonageſimum annum perveniſſe ſcribit in ejus vita *Petrus Caſtellanus*, ſed ego potius credo diſcipulo ipſius *Montano*, qui *in problem. Phyſ. & Med. p.m.* 447. Centeſimum ſextum ſuperaſſe ſcribit. Pariſienſes Medicos pleroſque longævos eſſe, dicebat mihi olim Guido Patinus Vrbis illius & Orbis honor. Sive autem hoc meritis illorum, ſive

arti

anni debetur; ſive utrique, opto ſaltem, ut *Patini*, *Mentelii*, illiſque eruditione & virtute ſimiles, ſuo exemplo hoc dictum confirment.

Hi ſunt igitur humanæ vitæ termini, Sereniſſime Domine, huc uſque tum Principes, tum inferioris ſortis homines excurrerunt, has ego vivacitatis illius cauſas eſſe credo. Neque verò dubitari poteſt, quin illis ipſis de cauſis Tibi quoque contigerit illud longius ætatis ſpatium. Etſi enim plures recenſuerim, qui non tantum ad illum, quem Tu nunc agis, annum pervenerunt, ſed longè ulterius progreſſi ſunt, non occurrit tamen inter omnes illos unus aliquis, in cujus ſenectute tot ac tanta ſint, quæ diligentius mereantur examen. Cum vigorem animi corporiſq; Tui, cum immenſum illum, quem quotidie exhauris, laborem, cum tenacem illam memoriam, cum denique omnia non ſenilia in ſenili corpore conſidero, in iis quidem, quos retuli, eorum aliqua, in nemine uno omnia invenio. *Pro miraculo*, inquit *Plin.l.7.c.20. & id ſolitarium reperitur exemplum Xenophilum Muſicum centum & quinquaginta annis vixiſſe, ſine ullo corporis incommodo.* In Maſiniſſa, (quem libentius Tecum Sereniſſ. Princeps, confero, Numidiæ ſcilicet Regem) corporis robur planè ſingulare fuit. Licet enim ad centeſimum ferè annum pervenerit, ita tamen

men de eo *Valerius Maximus: Ferunt*, inquit, *aliquot horis in eodem veſtigio perſtare ſolitum, non ante moto pede, quàm conſimili labore juvenes fatigaſſet. Ac ſi quid agere aſſidentem oporteret, toto die ſæpenumero nullam in partem converſo corpore in ſol.o duraſſe. Ille enim exercitus equo inſidens noctem diei plerumque jungendo duxit: nihilque omnino ex iis operibus, quæ adoleſcens ſuſtinere aſſueverat, quum illam ſenectutem ageret, omiſit.* Parum abeſt, quin eadem hæc de Te, Sereniſſ. Princeps, dicere poſſimus, qui ſenectæ Tuæ robur ultimis his annis abunde vidimus. In Catone, cum ſextum & octogeſimum, quem eundem Tu nunc, Celſiſſime Domine, annum ageret, nemo aut memoriam tardiorem aut firmitatem lateris ulla ex parte quaſſatam aut os hæſitatione impeditum animadvertit, quia inquit *Valerius* l. 8. c. 7. *omnia iſta in ſtatu ſuo æquali ac perpetua induſtria continebat*. quid præ Te ſingulare habet Cato? quæ Tu non præ illo? Seneſcentibus licet paulisper membris, animus Tuus induſtriæ beneficio florem juventæ retinet. *Multorum ſenum*, inquit *Seneca* Epiſt. 26. *viget animus & gaudet non multum ſibi eſſe cum corpore, magnam oneris ſui partem depoſuit, lætitia exultat, & illis de ſenectute controverſiam facit, hunc ait eſſe florem ſuum.* Non dubito, quin Tu quoque, Seren. Princeps, viriditatem, quæ in juvenibus eſt, illis

nom

non invideas, laſſamq; Tuam non fractam ætatem illorum robori anteponas. Nec Iſocratem amplius nec Chryſippum nec Theophraſtum miror ſcripſiſſe libros, nonagenarii cum eſſent, nec titulo res digna ſepulcri mihi videtur, Sophoclem centeſimo prope anno Oedipum ſuum feciſſe. Cum Tuos labores quotidianos illis confero, otioſi etiam videntur fuiſſe. Noctes ſæpe diebus jungis & non interrupto tenore labores continuas indefeſſus nunquam: ideoque ipſos inter labores inſtat ſæpe ſomnus & deſerit. *Gaudent* ſcilicet (verba *Pacati* ad Theodoſium) *divina, perpetuo motu & jugi agitatione vegetat ſe æternitas, & quicquid laborem vocamus, noſtra natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cœlum rotat, ut maria æſtibus inquieta ſunt, ut ſtare Sol neſcit: ita Tu, Princeps, continuatis negotiis & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es.* Quis non igitur Tuam ſenectutem præ aliorum viridibus annis magis eſſe actuoſam dicat? Neque enim ſubvenire Tibi & oneris partem in aliorum humeros devolvi pateris. Solus præſtare omnia vis, qui ſolus potes quàm optimè & nemo Te melius. Placet illud *Symmachi* l.3. Ep.3. *Nullam Neſtor tertio ævi ſui ſeculo militiæ vacationem popoſcit, nec excuſavit Achilli ætatis ſuæ frigus Phœnix monitor.*

Sed jam de memoria Tua quid dicam? Habes

eam ad miraculum felicem, communem quidem hactenus cum Cyro, Mithridate, Scipione, Adriano Imperatore & Iuliano, quorum ſtupendam retinendi facultatem vetuſtas ſuſpexit. Non legas tamen ſeneſcentibus illis eandem fuiſſe memoriæ vim; nec enim aliud eſt æquè fragile in homine, morborum ac caſus temporiſque injurias ſentiens, aliàs particulatim, aliàs univerſa. Imò memoria eſt, in quam ſenectus primo omnium incurrit. Georgius Trapezuntius Græcè & Latinè doctiſſimus in ſenectute utramque oblitus eſt linguam: Meſſalla vero nominis quoque ſui. Scilicet

. . . . prima langueſcit ſenum

Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu, inquit *Seneca in Oedipo*. Tu verò non ſolum, ut ſolent plerumque Senes, eorum meminiſti, quæ Te juvene evenerunt, ſed, quicquid prioribus & ultimis ſenectæ Tuæ annis geſtum eſt, tota cum circumſtantiarum ſerie noſti, ut in ruborem ſæpe des illos, qui juvenes ſeni Tibi à ſervitio fuerunt. Nec eorum meminiſti tantum, quæ per Te aut coævos ſaltem Tuos geſta, ſed etiam quicquid lectu vel auditu perceptum, firmiter tenes, ut omnia etiam minima non legiſſe, audiviſſe, intellexiſſe: ſed repoſuiſſe, inſculpſiſſe & æternaſſe in mente Tua

te Tua videaris. Dubium ſanè, an unquam quicquam, præter injurias, oblitus ſis?

Cum igitur hæc ſenectus Tua non ſolum ob ipſum annorum numerum ſingularis ſit, ſed ob omnes quoque circumſtantias illa in ætate raras, non dubito equidem nunc illo nomine plurimum Tibi gratulari. Eſt enim vita longa in ſenectute vegeta res optabilis, quam ſibi quiſque, quam amiciſſimis, quam Principibus optamus, idque veterum Romanorum more, qui particulam vitæ demptam ſibi ſolemni formula donabant Cæſaribus.

Felix, qui per tot ſecula nomen
Diſtulit, atq; ſuos jam dextra computat annos
Quiq; novũ toties muſtum bibit, exclamat *Juvenalis.* Equidem Felicitatem ipſam alius alio modo & ſuopte ingenio quiſque terminat, ut difficilis judicij ſit, felicitatisne nomen mereatur longa vita. Quod ſi verum facere judicium volumus, felix eſt, non qui diu vixit, ſed qui diu bene vixit. Non computare ſolum annorum numerum decet, ſed pondus illorum quærere. Et verò quis vivere nolit, cum verè vivere didicit? Multos in ipſo apparatu vitæ vita deſtituit. Priores anni noſtri non niſi prælúdia ac meditamenta quædam vitæ ſunt, & ante experientiæ maturitatem

cam ad miraculum felicem, communem quidem hactenus cum Cyro, Mithridate, Scipione, Adriano Imperatore & Iuliano, quorum ſtupendam retinendi facultatem vetuſtas ſuſpexit. Non legas tamen ſeneſcentibus illis eandem fuiſſe memoriæ vim; nec enim aliud eſt æquè fragile in homine, morborum ac caſus temporiſque injurias ſentiens, aliàs particulatim, aliàs univerſa. Imò memoria eſt, in quam ſenectus primo omnium incurrit. Georgius Trapezuntius Græcè & Latinè doctiſſimus in ſenectute utramque oblitus eſt linguam: Meſſalla vero nominis quoque ſui. Scilicet

. . . prima langueſcit ſenum

Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu, inquit *Seneca in Oedipo*. Tu verò non ſolum, ut ſolent plerumque Senes, eorum meminiſti, quæ Te juvene evenerunt, ſed, quicquid prioribus & ultimis ſenectæ Tuæ annis geſtum eſt, tota cum circumſtantiarum ſerie noſti, ut in ruborem ſæpe des illos, qui juvenes ſeni Tibi à ſervitio fuerunt. Nec eorum meminiſti tantum, quæ per Te aut coævos ſaltem Tuos geſta; ſed etiam quicquid lectu vel auditu perceptum, firmiter tenes, ut omnia etiam minima non legiſſe, audiviſſe, intellexiſſe: ſed repoſuiſſe, inſculpſiſſe & æternaſſe in mente Tua

te Tua videaris. Dubium ſanè, an unquam quicquam, præter injurias, oblitus ſis?

Cum igitur hæc ſenectus Tua non ſolum ob ipſum annorum numerum ſingularis ſit, ſed ob omnes quoque circumſtantias illa in ætate raras, non dubito equidem nunc illo nomine plurimum Tibi gratulari. Eſt enim vita longa in ſenectute vegeta res optabilis, quam ſibi quiſque, quam amiciſſimis, quam Principibus optamus, idque veterum Romanorum more, qui particulam vitæ demptam ſibi ſolemni formula donabant Cæſaribus.

Felix, qui per tot ſecula nomen
Diſtulit, atq; ſuos jam dextra computat annos
Quiq; novũ toties muſtum bibit, exclamat *Iuvenalis.* Equidem Felicitatem ipſam alius alio modo & ſuopte ingenio quiſque terminat, ut difficilis judicij ſit, felicitatisne nomen mereatur longa vita. Quod ſi verum facere judicium volumus, felix eſt, non qui diu vixit, ſed qui diu bene vixit. Non computare ſolum annorum numerum decet, ſed pondus illorum quærere. Et verò quis vivere nolit, cum verè vivere didicit? Multos in ipſo apparatu vitæ vita deſtituit. Priores anni noſtri non niſi prælludia ac meditamenta quædam vitæ ſunt, & ante experientiæ maturi-

ſtatem defluunt. Tum demum mentis oculus acutè incipit cernere, cum corporis oculus vigorem ſuum amittit, ut eſt apud *Platonem in convivio*. Quæ non igitur Te, Celſiſſime princeps, in longa illa annorum ſerie ad uſum ſapientiæ obſervaſſe credimus? Iuventus Tua inter peregrinationes tranſacta primo prudentiæ ſucco ex variorum hominum commercio imbuta eſt. Reliqua ætas ipſas inter actiones negotiaque graviſſima conſumpta exempla imitanda admirandaque vidit & edidit: juvante præſertim feliciſſima memoriâ cujus beneficio in promptu ſemper ſunt ſapientiæ theſauri, ut ad illius uſum nec locus nec tempus nec commoditas debeat expectari.

Quæ cauſæ ſunt, cur non tibi tantum Sereniſſ. Princeps, Sereniſſimiſq; Liberis, ſed nobis quoque omnibus, Civibus Tuis, eo nomine gratulemur, DEOque Opt. Max. gratias agamus. Neq; enim exiſtimare aliquis debet, caſu aut uſitato naturæ arbitrio illã Tibi ſenectutem & in ſenectute robur obtigiſſe. Aliter ſe cum Principibus, aliter cum plebejis rem habere, norunt illi, qui momenta fatorum librant. Vt enim ipſa naſcendi ſorte cæteris eminent, ſic illorum quoque ortui inuſitata quædam & divina vis ſeſe interponit. Te ſanè, feliciſſime Princeps, ut, præter omnium exſpectationem, ſuperioris Pruden-

tiæ

tiæ calculus majoris imperii gubernaculo admovit: Sic fortiorem etiam impetum recepiſti à Natura, publico ſtatui conformem. Tua hæc ætas, quàm reliquæ virtuti ſuæ & fortunæ par eſt! quam longè latèque conſpicua commendat imperium! ambiguum ſanè, utrum Te venerabilem magis mentibus noſtris virtus, an obtutibus heroica illa in ſenili corpore facies reddat. Scilicet non animis ſolùm, ſed oculis quoque Civium Tuorum ſervis. Cyrus Imperator non convenire cuiquam imperium ajebat, qui non melior eſſet iis, quibus imperaret. Tu non animi tantum vigore & excellentia ſed corporis quoque robore Cives Tuos antecellis. Quamvis enim id felicitatis ſit, nec in poteſtate noſtra, adeoque virtutibus accenſeri non mereatur; tamen vel hinc diſcimus, Principem noſtrum ſingulariter DEO gratum eſſe, qui inuſitata illum proſperitate beet. Ideoque nemo temere eſt, qui non cùm aliàs, tùm præſertim exeunte hoc anno Soſpitatorem Tui DEVM invocet, ut beneficiis ſuis jugiter immoretur, Tibique largum hunc ætatis excurſum continuet. Ego ſeorſim idem votum tacitus concipere nolui, ſed publicè lætitiam meam conteſtari, ſimulque precari, ut illos quoque annos, quos in hac epiſtola nonnullos attigiſſe ſcripſi, viribus integris ſuperes: imò quod aliquando

contin-

contingere memoravi, ut inuſitatum illud longioris vitæ ſpatium in Sereniſſima quoque familia hæreditarium ſit! Helmeſtadii in Acad. Iulia. proprid. Kalendas Ianuar. Anni MDCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

contingere memoravi, ut inuſitatum illud longioris vitæ ſpatium in Sereniſſima quoque familia hæreditarium ſit! Helmeſtadii in Acad. Iulia. proprid. Kalendas Ianuar. Anni MDCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

contingere memoravi; ut inuſitatum illud longioris vitæ ſpatium in Sereniſſima quoque familia hæreditarium ſit! Helmeſtadii in Acad. Iulia, proprid. Kalendas Ianuar. Anni MDCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

contingere memoravi, ut inuſitatum illud longioris vitæ ſpatium in Sereniſſima quoque familia hæreditarium ſit! Helmeſtadii in Acad. Iulia, proprid. Kalendas Ianuar. Anni MDCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

contingere memoravi ; ut inuſitatum illud longioris vitæ ſpatium in Sereniſſima quoque familia hæreditarium ſit! Helmeſtadii in Acad. Iulia. proprid. Kalendas Ianuar.

Anni MDCLXV.

Digitized by Google